

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Americae tertia pars, Memorabilem provinciae Brasiliae
historiam continens**

Staden, Hans

Léry, Jean de

Francofurti ad Moenum, 1592

Prioris Epistolae Exemplum

urn:nbn:de:bsz:31-88707



PRIORIS EPISTOLAE
EXEMPLVM.

VM à valle Argentueil, ad quam, inuicem valedicturi nō sine communi omnium nostrū mœrore, comitati estis, discederem: vos ad felices vestras Musas rediistis, ego institutum iter prosequutus sum, meam tamen fidem obstringens, me, simul atque eo quo tendebamus peruenissem, vobis scripturum. Eam igitur liberare, ingratitude vitium fugere cupiens, nec immemor videri volens beneficiorum à vobis acceptorum: quātum temporis angustia permisit, quid nobis in illa Navigatione acciderit, hac epistola vobis breuiter significare volui.

Anno Domini M D L V. Villagagno, paratis omnibus rebus ad suum institutum necessariis, & attributis illi ex Regis Henrici II. mādato magnis duabus nauibus, quarum singulae ducentorum doliorum capaces, & tormentis bellicis probe instructae, ad earum tuitionem, tum vt aliquam eorum partem istuc, quo profectionem instituebat, relinqueret, oneraria praeterea naue cētum amphorarum, quae annonam & cetera necessaria veheret, comitibus multis nobilibus viris, artificibus, & nautis, eas conscendit, & merces imposuit. Omnibus ergo recte cōstitutis III. Id. Iulii sub tertiam pomeridianam, è Gratiano portu, in quo classis parata fuerat, soluere, & explicare vela iubet.

Bona tum erat tempestas, & spirabat Aquilo, nostrae nauigationi accommodus, quo perseverante, Occidentalem Indiam attingere potuissemus. Sed postero die & sequentibus, Austroafricus, inde, quo nobis recta dirigendum erat iter, flare cepit adeo vehemens, vt in maritimam illam Angliae oram, quae vulgo Gallis *Blanquet* appellatur, propelleret, vbi iactis anchoris subsistere statuebamus, sperantes eius vehementiam mitigatum iri: verum frustra, immo summa cum festinatione nobis fuerunt vellendae, vt in Galliam redeuntes Diepam appelleremus. Turbida ista tempestate, nauis qua Villagagno vehebatur, fluctibus concussa, tantum aquae trahebat, vt minori quam semihorae spatio, circiter quadringentas aquae situlas è sentina educere necesse esset: quod sane mirandum, & haecenus inauditum de nauis è portu soluente. Hac de causa Diepensē portum ingressi sumus, sed cum magna difficultate, quia eius aqua tres

*Prima
nium con
scensio.*

Blanquet.

bi pro-
storia-
atione,
& Le-
lustra-
stima-
Barré
exem-
rouin-
Anno
ue ser-
iendas
atinas
et-

ORIS

*Regressus
in Diepen-
sem por-
tum.*

duntaxat orgyias alta est, nostræ vero naues ad duas orgyias cum semisse in aqua sidebant, præterea ventus admodum vehemens aditum præpediebat: sed Diepenses (pro solito & laudabili ipsorum more) adeo frequentes affluerunt ad rudentes trahendos, vt ipsorum auxilio portum intraremus xvi. Kal. Sextiles. Ex illo, plerisque nobiles nostri comitatus satias cepit maris, fidem firman-tes prouerbio, Mare vidit & fugit; plerique etiam militum & artificum, istarum rerum pertæsi, secesserunt.

*Secunda
naui con-
scensio.*

Nos trium hebdomadarum spatio istuc absumto, secundum ventum expectantes, & reparandis nauibus occupati, Aquilone denuo flante, secundo vela fecimus, ea spe, vt superatis illis maris angustiis, in vastum Oceanum penetra-remus: sed venti perinde nobis aduersi violentia, voto potiri non permisit, im- mo eundem portum, ex quo solueramus, repetere coëgit, in quo hæsimus ad xix. vsq; Kal. Septembres.

*Tertiana-
uium con-
scensio.*

Interea singuli recentem annonam & reliqua necessaria compararunt, vt tertio mari nos committeremus. Prædicto igitur die Diuinam clementiam & benignitatem agnoscentes (nam quemadmodum nostris precibus illum solli- citaueramus, tempestatem maris sedauit, & calum aduersus nos furens com- pescuit) atque animaduertentes ventum in ea statione constantem aliquam- diu futurum, maiori, quam antea, spe, tertio nauibus conscensis, vela fecimus: fuit vero is ventus nobis adeo secundus, vt angustias illas inter vtramque Bri- tanniam, vulgo Gallorum nautarum *La Menche* dictas, Aquitanicum & Can- tabricum sinum, Hispaniam, Lusitaniam, Sacrum promontorium, Calpen, Maderæ insulas, & Fortunatas, quæ vulgo Canariæ cognominantur superaue-

*Mons At-
las veteris.*

rimus. Tenariæ montem, à veteribus Atlas appellatum (à quo secundum Cosmographos Atlanticum mare denominatum) obseruauimus: nam præcel- sus est, & viginti leucarum spatio conspici potest. Illi ad aenei tormenti iactum facti sumus vicini Dominico die, qui fuit vicesimus à tertia nostra in naues cõ-

*Enu distā-
tia a Gra-
tiano por-
tu.*

scensione. Distat is à Gratiano portu mille & quingentas leucas, ab Æquatore vero xxxviii. gradus ad Septentriones. Nascuntur, vt aiunt, in ea insula sac- chari abūdantia & generosa vina. Hispano parere satis intelleximus: nam cum istuc anchoras iacere vellemus, ad petendam recentem aquam, & quædam ne- cessaria, ex castello ad radices cuiusdam montis sito, duobus aut tribus globis sumus petiti, quorum vnus Pratoriam nostram perfodit. Instabat me- ridies, ingensq; erat æstus nullo spirante vento: illorum itaque ictus sustinendi fuerunt. Sed contra tormentis explosis ita ipsis respondimus, vt multis in arce ædificiis corruptis, feminæ pueris permixtæ præcipiti in agros fuga sibi consule- re cogerentur. Si nostros lembos & cymbas eductas habuissemus, arbitror nos in pulcra illa insula hæsiuros fuisse. Nemo nostrum vulneratus fuit, præter tor- mentarium quendam, qui tormenti aenei genus vulgo *Cardinac* appellatum explodere volens, sibi vulnus inflixit, quo decimo post die extinctus est. Tan- dem cum animaduertissemus, nihil istinc quam ictus reportaturos, altum pe-

*Barbaria,
pars Afri-
ca.*

tiimus, ad Barbariæ (quæ pars Africae est) maritimam oram tendentes, atq; se- cundo vento perseuerante, prætergressi sumus flumen Ligerim in Barbaria, Promon-

Promontorium album, quod sub Tropico Cancræ est, & v. Id. Septembres ad altitudinem Promontorii Æthiopici peruenimus, vbi maximum æstum experiri cœpimus. A Tenariffa ad hoc Promontorium trecentæ leucæ numerantur. His summis ardoribus suborta est in Prætoria naui pestilens febris, ex putidæ & corruptæ aquæ potu, à quo, qui illa vehebantur, abstinere nequibant. Fuit vero ea febris adeo contagiola & perniciofa, vt ex centum capitibus sola decem fuerint ab illa immunia, & ex nonaginta ægris quinque morerentur: res profecto commiseratione digna & deploranda: adeo vt ipse Villagagnò in nostram nauem se recipere cogeretur, in qua omnes sani & alacres eramus, tristes tamen ob infortunium in loca naue acceptum. Abest hoc Promontorium à Torrida Zona $xiiii.$ gradibus, & ab Æthiopibus habitatur. Istic desit ventus secundus, & sex continuis diebus fuimus afflicti malacia, sole autem ad occasum tendente sequis turbinibus & imbribus tam fœtidis, vt quibus cutis madesceret, amplæ excitarentur pustulæ: ea de causâ vix ab acatio, siue maiore velo abscedebamus. Deus tamen nobis adfuit: nam Austroafricum immisit, qui, licet aduersus, utilis tamen fuit, quia nimis ad Occidentem vergebamus; & cû frigidiusculus esset, plurimum corpus & animum nostrum refecit, illoque Guineæ oram legimus, paulatim ad Zonam torridam accedentes, quam (præter veterum opinionem) adeo temperatam comperimus, vt qui vestes induisset, ob æstû eas exuere non cogeretur, neq; qui careret, illas ob frigus sumere.

Nos v. Id. Octobris centrum illud mundi superauimus apud insulas D. Thomæ, quæ directe sub Æquatore sunt, vicinæ Prouinciæ *Manicongo*. * Et licet hoc iter nobis commodum non esset: aduerso tamen vento obsequendum fuit, & eo deflectendum, sic vt pro trecentis leucis, quæ rectâ tendentibus nobis erant emeriendæ, mille & quadringentas fere conficeremus. Immo si ad Bonæ spei Promontorium, quod $xxxiiii.$ gradibus citra Æquatorem est, in Orientali India, iter instituissemus, prius eo peruenissemus, quàm in Brasiliam. Quinque citra, & aliis quinque gradibus ultra Æquatorem, in tantam piscium, eorumque varii generis abundantiam incidimus, vt interdum illis inhære nostras naues arbitraremur: ex horum numero erant Delphini vtrumque genus, Balenæ, Squatinæ, Auratæ, Albacores Hispanis dicti, Pelamides, & hirundines marinæ, quas gregatim volantes conspeximus instar nostratium sturnorum. Istic nos defecerunt aquæ præter eas, quæ ex riuulis collectæ, adeo fœtidæ & corruptæ, vt nullus putor cum iis comparari possêt: quoties autem nobis erant bibendæ, oculos claudebamus, & nares obturabamus.

In his difficultatibus versantes, & fere animum despondentes Brasiliam attingere posse, ob magnam distantiam (nam nongentis aut mille adhuc leucis ab illa aberamus) Deus nostri misertus, Euroaustum immisit, qui dirigere nos coëgit proram ad Fauonium, quo nobis erat tendendum. Ceterum adeo secundo vsi sumus eo vento, vt Dominico die mane, qui incidebat in $xiii.$ Kal. Nouembres, elegantem insulam, in marina charta Ascensionis nomine donatam, conspiceremus, octo gradibus cum semisse ab Æquatore distantem: ex cuius conspectu exultantes didicimus vbinam versaremur: viciniore tamen illi

Prom. album sub Tropico Cancræ.

P. Æthio. distans ab Æquatore.

Guineæ.

* VI. tamò gradibus ultra Æquatorem est.

Promont. Bonæ spei $37.$ gradibus citra Æquat.

Ascensionis Insulæ.

non sumus facti, quam magnæ leucæ distātia. Admiratione profecto dignum, insulam videre quingentis leucis à continente discretam. Dies igitur, noctesq; nostrum iter prosequentes secūdo hoc vento, factum est, vt Dominico die mane 111. videlicet Non. Nouembres Occidentalis India, Orbis quarta pars nobis in conspectum venerit, America dicta, ab eo qui primus illam obseruauit anno M CCCC XCIII. Facile quis æstimare potest, quanto gaudio fuerimus perfusi, considerata nostra miseria, & quanto tempore in itinere hæseramus: à singulis ergo gratiæ Deo actæ. Altitudinem porro x x. graduum habet Regio illa à nobis obseruata, quæ à Barbaris *Pararbe* appellatur, & à Lusitanis, nationeque continua bella cum nostris confœderatis gerente, incolitur. Inde restabant adhuc tres gradus ad Tropicum Capricorni, qui octoginta leucas cōficiunt.

*America
quādo in-
uenta.*

Pararbe.

*Propugn.
Villagagn.*

Quarto igitur Id. Nouembris ingressi sumus flumen *Ganabara*, à similitudine lacus sic appellatum, sub ipso Tropico Capricorni. Istic excensione facta, Dominoque laudibus & gratiarum actionibus redditis, quingenti aut sexcenti incolæ omnino nudi, & arcubus sagittisque instructi, nobis aduentum gratulati sunt, & facultates suas obtulerunt, solennes & festiuos ignes struentes, quod aduenissemus eos aduersus Lusitanos, aliosque infestissimos hostes propugnaturi. Ipse locus peramicus est, & natura munitus: nam fluminis ostium angustum, & sesquimiliare Italicum forsitan patens, vtrunque præalto monte clauditur: meditullium occupat rupes centum pedes longa, sexaginta lata, in qua Villagagno Propugnaculum è trabibus construxit, in quod tormentorum bellicorum partem transtulit, ne hostes damnum inferre possint. Adeo vero latum est hoc flumē, vt totius orbis (opinor) nauibus commodam & tutam stationem præbere possit. Sparsæ sunt in eo amœnissimæ insulæ, arboribus perpetuo virentibus ornata, tum etiam prata, in quorum vno (quod à propugnaculo tormenti ænei iactu abest) nos omnes cum reliquis tormētis bellicis fuimus expositi: metuebamus enim, si in continente sedes figeremus, vt Barbari, ad occupandas nostras merces, facto impetu nos trucidarent.

** Mandio-
ca reliqui.*

** Musa
est.*

Terra Milium illud duntaxat producit, quod vulgo apud nos frumentum Turcicum dicitur, & quandam radicem, ex qua Miliio commista vinum conficiunt. Habet vero ea radix, * *Maniel* appellata, fruticem ebuli altitudine, folia Pæoniæ mari adeo similia, vt initio eam esse arbitrarer. Ex eadē radice fit mollis farina, non minus grati saporis quam panis. Conspexi herbam, *Petun* vocatam, folia symphyto maiori æqualia habentem, quorum succum hauriunt, & fumum attrahūt, possuntque illius herbæ vsu, octo aut nouem dierum famem tolerare. Nascuntur etiam duo fructus genera, gratissimi saporis: vnum *Nana* dictum, cynaræ amplitudine, dulci quidem succo plenum, sed difficilis concoctionis, quem profert Aloë non dissimilis planta, spongiosa tamen: alterum *Pacona* * appellatum, ficibus congener, probè concoctionis, cuius stirps foliis Hydrolapati est. Præterea fabæ crassæ & minutæ, vtræque edules, sacchari canna, non tamen frequentes, & aurea, citria, limoniaque mala, sed parce admodum, quia incolæ in colenda terra negligētiore sunt. Inter alias stirpes, obseruauit

uauu portulacam, myrtum, & ocymum: reliquæ sunt adeo peregrinæ, vt, si etiam adfit M. Ioannes herbarum demonstrator Lutetianus, multum negotii in iis nuncupandis sit habiturus. Metallica nos reperturos confido: nam Lusitani quinquaginta leucis supra hanc regionem, & aliis quinquagenis infra, aurum, argentum, & æs inuenerunt. Irrigant istam regionem tam amœni fluuii aquæ dulcis & potulentæ, vt saniozem bibere non meminerim. Aër est temperatus, calido tamen vicinior quam frigidus. December illis æstas, nimirum cum Sol in suum Tropicum venit, illisque pro Zenith est. Toto illo tempore, quo Sol ad illos accedit, sub vesperam, per trium horarum spatium, cadunt illis imbres, & tonitrua exaudiuntur: quando vero ad suum Æquinoctium, & Tropicum Canceri regreditur, amœnissimam apud eos esse tempestatem perhibent. Et hæc quidem de soli vbertate, aërisque salubritate & dispositione: superest vt de Incolarum conditionibus, statutis, & moribus dicamus.

*Brasiliano
rum æstas.*

Nullam sub Sole nationem magis Barbaram, & ab omni ciuilitate alienam cenfeo: nam sine vlla Numinis notitia, sine solitudine, sine lege, sine vlla religione viuunt, perinde ac bruta animalia, quæ solo suo sensu ducuntur. Nudi incedunt viri & feminæ, sine vlllo pudore, obscænis partibus nulla re tectis. Ipsorum idioma dictionibus abundat, sed numeris carent: nam quinarium exprimere volentes, quinque digitos ostendunt. Bellum inferunt quinque aut sex nationibus, è quibus si quos capiunt, pulcherrimis virginibus elocatis, tot funes collo innectunt, quot lunis illos conseruare volunt. His elapsis, vinum ex milio & radicibus conficiunt, quo conuocatis omnibus amicis, inebriantur. Deinde qui illum cepit, lignea claua trucidat, atque in partes sectum igni torret: has carnes auide vorant, nectar, ambrosiam esse dictitantes. Ceteroquin, serpentibus, crocodilibus, buffonibus, & magnis lacertis vesci solent, quos non in minoribus delitiis habent, quam nos capos, lepores, & cuniculos. Eorum confœderatio in centum leucas extenditur: hostes præter Lusitanos, habent Onitachas, Onyamas, Margaias, Taliarbas, quorum mores nostrorum confœderatorum moribus respondent. Toridem, quot volunt, vxores ducunt, liberumque vxoribus est, leui occasione maritos deserere. Magni faciunt nostras vestes, arma, & quæcumque à nostris aduehuntur, contemnentes aurum, argentum & gemmas omnis generis, quæ apud nos magno sunt in precio. Eorum arma sunt arcus & sagittæ ossiculis asperatæ. In alueis, siue lintibus *μονοξύλοις* triginta aut quadraginta pedes longis nauigant: adeo porro periti sunt natatores, vt si ipsorum lintres mergantur, non admodum solliciti sint. Pro opibus habent albas paruarum marinarum cochlearum lineas, & ornamenta è plumis concinnata, quibus ad bellum profecturi se adornant: deinde Brasilianum lignum, quo aduenas naues onerant. Præcelsa est hæc arbor (nam quædam conspexi centum pedes altitudine, sex crassitudine æquantes) folio buxi. Nisi Deus ipsorum misereatur, difficilime (vt puto) ad Christianam fidem conuertentur, & illis adimetur fera illa sese mutuo deuorandi consuetudo. Cateruatim viuunt, quingenti aut sexcenti simul conuenientes, & oblonga domicilia, veteribus mapalia dicta, ædificantes. Qui ex eadem familia sunt oriundi, libenter simul

*Brasiliano
rum barba
ricis.*

Crudelitas

Hostes.

Lintres.

Opes.

*Qui sunt
eiusdem fa
milie si
mul habi
tant.*

*Quos ha-
beant Re-
ges.*

habitant. Xyli magnam habent copiam, ex quo pensilia cubilia cōtexunt, quibus incumbere non minus commodum, quam pluma suffarcinatis lectis. In singulis pagis præstantissimus quisque, hoc est, qui plures hostes ceperit & occiderit, omnium suffragio Rex creatur. Omnia sunt inter illos communia: sed quando nobis aliquid conferunt, aliqua re compensare ipsis oportet, alioqui moleste ferunt.

Hæc, amicissimi, nunc commentari & scribere licuit de nostra Navigatione, quæ vt boni consulatis, vos etiam atque etiam oro. Vterius, ad trigessimum septimum aut trigessimum vsque gradum progredi, Deo annuente, speramus. Quidquid istic obseruauero, vobis etiam perscribam, vt eo fruamini, donec in patriam rediero. Interea vobis à Deo longam & felicem vitam precabor, atque vestræ beneuolentiæ me commendabo. Ad flumen Ganabara in Brasilia Franciæ Antarcticæ Prouincia, sub Tropico Capricorni. Kal. Februarii,

M D LVI.

Vobis amicis.

N. B.

Accepta die Iouis ad x. Kal. Augusti eiusdem anni.

